



Dissertatio juridica inauguralis de poena exilii

<https://hdl.handle.net/1874/291134>

13

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
POENA EXILII,

QUAM,
DUCE ET AUSPICE DEO T. O. M.

Ex Auctoritate Rectoris Magnifici,

JOANNIS DAVIDIS HAHN

Philos. & Med. Doct. Philosophiæ, Physices Experimentalis & Astronomiæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, atque
Nobilissimæ FACULTATIS JURIDICÆ decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE honoribus &
privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examine submittit

CHRISTOPHORUS WOUTERS VANDER MIEDEN,
HAGA BATAVUS.

Ad diem 7. Julii, H. L. Q. S.



TRAJECTI AD RHENUM,
EX OFFICINA IOANNIS BROEDEL ET,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI. MDCCLV.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

POENAE EXILLII

BRITANNICAE

JOANNIS DAVYDS HAHN

PH.D. ET M.A. HONORIS CAUSA

ANNI 1842

GUBERNATORII

INSTITUTIONE

IN IURIS

TUTORII

SEMPER PRINCIPIS

GULLIELMI V

SYSTEM FORDER

CIVITATUM GUBERNATORII

HEREDITARI

1842

ACADEMIAE TYPOGRAPHICAE
EX OFFICINA JOHANNIS BRODIER
TRIVESTRI AD AENONAM

REGIÆ
BRITANNIARUM
PRINCIPI HEREDITARIÆ
ANNÆ
GUBERNATRICI
ET
TUTRICI
SERENISSIMI PRINCIPIS
GUILLIELMI V.
SEPTEM FOEDERATARUM BELGII
CIVITATIUM GUBERNATORIS
HEREDITARII
ETC. ETC. ETC.
SACRUM.

CELSISSIMA AC REGIA PRINCEPS.

Addicto mihi devotoque a teneris CELSITUDINI TUÆ REGIÆ ET ILLUSTRISSIMÆ GENTI AURIACÆ, uberrimo illi tot bonorum fonti & scaturigini, quæ DEO propitio in patriam fluxerunt, atque etiam nunc manant, ornato præterea compluribus favoris & benivolentiæ argumentis, liceat, quæso, studiorum primitias, quantumvis exiles & tenues, REGIÆ TUÆ CELSITUDINI summo obsequio dicare & consecrare, ut TUO patrocinio munitæ, earumque auctor TUA clientela protectus sit. Specimen otii in Academia recte positi editurus, laureamque doctoralem sumturus, de Poena Exilii in noxios & facinorosos cives Lege irroganda, argumento nec sordido nec admodum trito, ejusque differentiis pro criminum atrocitate, variisque modis istam pœnam infligendi, cum apud Græcos tum apud Romanos, agere proposui: injusta exilia, quibus olim viri illustres, nullo admisso crimine, civitate expulsi sunt, vel quæ in eos intentata sunt, qui innocentes ex hisce laqueis expedivissent, enumerare atque explicare animus
non

non fuit: hic certe saluberrimæ Legis, quæ uni-
ce id agit, ut sit bene composita civitas & a per-
ditis ac nefariis libera, pessimus abusus ab oris
nostris exulat, **TE, PRINCEPS CELSISSI-**
MA, SOSPITE, nemo pœnam hic expavescit,
nisi qui lege se convictum ac damnatum esse fas-
sus est.

Atque hæc laudum **TUARUM** non ultima
vel sola me impelleret, ut **NOMINI TUO** sum-
mopere colendo opellam hanc, exiguam qui-
dem, sed legum tamen normam explicantem,
CELSITUDINI TUÆ REGIÆ inscriberem:
& cui potiori jure, dum neminem Belgarum ex-
teriorumque latet, **TE** neque curis neque vigiliis
parcere, ne leges in quibus Reipublicæ salus ac
robur, sine moribus sint vanæ, tum etiam ut
domi tranquille ac placide cuncta gerantur, & si
quæ foris caræ Patriæ immineant pericula longe in-
de longeque propulsentur: sed alia accedit causa,
quæ timidum ac hæsitantem validissime movet.

Innumeris beneficiis paterna familia a **TE** cu-
mulata est: ipsemet gustavi lætissimos **TUI** favo-

ris fructus, vix emenso quadriennio secessus Aca-
demici, clementissime viam munivisti, ut pro virili
mea patriæ rebus consulere, atque in id omni viri-
um contentione eniti possem, ne studio amore-
que in eam ulli concederem. Pro quo mirifico
favore, **PRINCEPS SERENISSIMA**, gratias
ago agamque, dum vita superabit, maximas: nec
TU, quo regio atque excelsò animo es, ab
homine a splendoris **TUI** culmine longissime se-
juncto aliud desideras. Ego vero id sedulo agam,
ne in ingratum aut **TUO** patrocínio indignum
contulisse videare beneficium: habes, sicuti a te-
neris edoctus sum, **ILLUSTRISSIMÆ TUÆ**
GENTI nexu mancipioque devotum, neque erit
profecto, ut hæc devotio atque obsequium animo
unquam elabantur.

DEUM IMMORTALEM supplex rogo, ut
CELSITUDINEM TUAM REGIAM, **AL-**
MAM Belgii nostri **MATREM**, per longam an-
norum seriem servet incolumem, ut **Respublica**
GUBERNATRICES SUÆ consiliis floreat, læ-
tisque rebus cuncti cives tuto aris focusque suis
fruan-


fruantur: utque **CELSITUDINIS TUÆ REGIÆ ILLUSTRISSIMA STIRPS**, patriæ spes & amor, nutrita edoctaque in faustis adeo Penetralibus, ad omnem virtutem saluberrimis **TUIS** præceptis magisque magis formetur, quo **TE DUCE** atque **AUSPICE**, quæ spes bonorum nec vana, ut opinor, brevi patria nostra ad pristinum splendorem ac summæ auctoritatis culmen resurgat. Quod quidem, uti Belgæ omnes optant, ita votorum meorum summa est, ut **TIBI, CELSISSIMA ET REGIA PRINCEPS**, incolumi liceat Gubernationis clavem in **ADULTI TUI FILII** manus tradere: **FILII MAGNI** & hac ætate illis animi corporisque dotibus instructi, ut Belgæ delicias suas merito nuncupent, omnisque Europa virtutum, quibus **CELSISSIMUS PATER**, sed cito nobis & flebilis ereptus, enituit, in **EO** pariter ac **SORORE OMNIUM EXCELLENTISSIMA**, exemplar agnoscat atque admiretur. **HUNC**, oro, videas florentem, remque Belgarum publicam componentem, revocantemque secula aurea. **Æquiparet MAJORUM** illustria

lustria facta, artibus & disciplinis ornamenta conciliet, Patriæ auctoritatem restituat, ut amicis præsidio, hostibus terrori sit, religioni, sine qua stare civitas nequit, decus & robur adferat. Sic facta tecta que libertate, Belgarum Respublica & **ILLUSTRISSIMA GENS AURIACA, DEFENSORE ET GUBERNATORE WILHELMO FILIO TUO**, in seros annos in flore perennabit, atque hæc, **CELSISSIMA AC REGIA PRINCEPS** in viridi senecta videas læta, capiasque uberrimum insumtarum vigiliarum fructum. Sic faxit **DEUS O. M.** liceatque mihi fidelissimo ac humillimo obsequio me profiteri,

**PRINCEPS SERENISSIMA,
AURIACÆ DOMUS AC CELSITUDINIS
TUÆ REGIÆ**

devotissimum atque obstrictissimum clientem,

CHRISTOPHORUM WOUTERS VANDER MIEDEN.



DISSERTATIO JURIDICA
 INAUGURALIS
 DE
POENA EXILII.

PROOEMIUM.

Vulgaris quidem & cotidiana est hæc præ-
 fatio; vere tamen dixerim: cum diu
 animo volverem, quam materiam Dis-
 sertationi, quæ studiorum meorum A-
 cademicorum specimini inserviret, ingenio & vi-
 ribus meis aptissimam seligerem, incidisse in men-
 tem Exilii Pœnam, de qua fuse quidem agunt
 passim auctores, qui juri illustrando operam con-
 tulerunt, nec dum tamen id faciunt eo ordine,
 qui omnia ad hanc materiam spectantia facili &
 perspicua eademque concinna methodo digesta

A

ex-

exhibeat; quapropter non inanem operam me facturum credidi, si tum ea, quæ ex remotiori Antiquitate, tum quæ ex usu & legibus Romanis huc pertinere videntur, exercitationis gratia colligerem, ut, si nullum hoc labore alium finem assequar, id saltem ex eo constet, quantum mihi curæ & cordi fuerit in tractatione juris rem penitus & distinctius nosse.

Jus sane Romanum tractaturum in historia rerum Romanarum antiquiorum peritum esse unumquemque oportet, cum multa passim in eo obvia sint, non nisi illi perspicienda & explicanda, qui antiquiores Romanorum ritus domi forisque gesta penitus scrutatur; nec desunt fontes, ex quibus ea hauriamus, cum vix ulli scriptores occurrant, qui mores, & facta suæ gentis fusius & curatius nobis exhibeant, quam Romani, quos constat, omnes gentes virtute anteiisse, doctrina nulli sui temporis celsisse.

Ex his fontibus petita sunt, quæ hoc loco de origine & historia exilii attuli, quod si dixero, me ea causa fecisse, ut legibus Academicis satisfacerem, satis me in mei defensionem dixisse puto, si vel rem omnem non exhibeam, sed specimen tantum, quod studii & industriæ potius, quam

sum-

summæ doctrinæ argumentum esset.

Sed satis in limine. Venio ad propositum, quod ut distinctius & ordinatius exequar tractationem in sectiones dispescam, quæ summam eorum, quæ hic tractare institui, exhibeant, acturus

1. *De Pœnis in genere.*
2. *De nomine & definitione Exilii.*
3. *De Origine Pœnæ Exilii.*
4. *De Speciebus Exilii.*
5. *De Interdictis.*
6. *De Relegatis.*
7. *De Deportatis.*
8. *Quinam Exilio puniti sint.*

SECTIO PRIMA.

De Pœnis in genere.

§. I.

UT nulla civitas sine legibus, sic nullæ leges sine pœnis constitui, & consistere possunt.

Pœna, ut definitur *l. 130. D. de V. S.* est *delictorum coërcitio*, quæ quidem definitio & causas

& fines, propter quas pœna infligitur, continet, ac propterea præferenda videtur illi, quam tradit Grotius *Lib. 2. cap. 20 §. 1.* qui, *pœna, inquit, est malum passionis propter malum actionis.*

Latius utique patet definitio Ulpiani, quandoquidem ex ea eruitur duplex infligendæ pœnæ causa, quarum una & palmaria est emendatio eorum, qui delinquent, *l. 20. D. de pœn.* cum vix in hominem cadat, pœnas sponte aut obstinato animo incurrere, aut quas semel incurrerunt, contemnere & insuper habere: altera pœnæ fontibus infligendæ causa est exemplum, quo pœna unus metus multis incutitur, qui eos a simili crimine committendo absterreat, *l. 1. C. ad L. Jul. Repetund.*

Addi potest pœnis id effici, ut, quorum voluntas & pravi mores aliter coërceri nequeunt, vires iis ipsaque vita adimatur, quo minus exemplo & factis suis aliis nocere possint.

Est proinde pœna ad continendam Rempublicam adeo necessaria, ut non immerito dixerit *Seneca, præmio & pœna Rempublicam contineri*: spes utique & metus, quorum illa præmiorum est, hic pœnarum, summum principium ac velut fons est, ex quo pleræque actiones humanæ profluunt.

I I.

Cum itaque pœnæ eum in finem inventæ & constitutæ sint, ut per eas sensus metusque mali animis hominum incuteretur, quo minus peccarent, quove sanctius legem observarent, usus, qui pœnis intenditur, sese extendit tum ad eum, qui peccavit; punitur enim, ut doleat se peccasse, & ut male agendi libido eo dolore expugnetur; verum præterea pœnis utilitas ejus quæritur, cui ex malo alterius nocitum est, quatenus caveant, ne tale quid in posterum ab eodem vel aliis patiatur, denique pœnæ eo spectant, ut securitati communium prospiciatur, utpote quibus nocendi audacia in fonte, aliisque ejus exemplum facile, si pœnarum metum adimas, secuturis comprimitur. Quos fines & usus pœnarum si cum indole hominum corrupta, & ad pessima quæque flagitia proclivi, nec aliter quam pœnarum sensu ac metu coërcenda, conferamus, pœnarum ad continendam Rempublicam necessitas luculenter apparebit.

III.

Pœnarum duo sunt genera: aliæ namque caput, id est, summam rei humanæ, vitam puta, libertatem, & jura civitatis adimunt, *l. 103. D. de V. S.* aliæ levius affligunt, & opes tantum, existimationem, & si quid aliud ad fortunam hominis comparatum est, concutiunt, sive, ut cum JCtis definiam, pœna nec capitalis est, qua quis, vita, libertate, & civitate salva, levius coërcetur, *l. 6. §. 28. D. de pœn. l. d. de V. S.*

IV.

In pœnis tum constituendis, tum infligendis hanc legem legislatori æque ac judici natura & æquitas præscripsit, nihil aut durius aut remissius constituere, quam causa deposcit, *l. 11. D. de pœn.* minas tamen, ut hoc obiter addam, quæ pœnas etiam asperiores, quam res postulat, transgressori intendunt, legibus, quo sanctius ferventur, addere prudentia suadet, ut qui contemptu pœnæ levioris legem insuper habituri essent, comminationibus durioribus percussi jugum submissius ferant.

V.

Ex omnibus autem pœnis, quas vel justitia exigit, vel crudelitas invenit, nulla naturæ & legibus societatis adeo consentanea videtur, quam Pœna Exilii; quid enim justum & æquum magis, quam juribus & commodis societatis privare eum, qui legibus, quibus ea societas continetur, adversatur, nec alio modo in ordinem redigi potest; non mirum igitur, hoc pœnæ genus & antiquissimis temporibus, & apud omnes fere gentes usu invaluisse, hodieque dignum esse, in cujus originem, & causas hic inquiramus.

SECTIO SECUNDA.

De Exilii nomine & definitione.

§. I.

Exsilium scripseris, aut *exilium* eliso *S*, utrumque non sine auctoritate veterum, recentiorumque Grammaticorum feceris; plures tamen & potiores *exsilium* scribi debere contendunt, & confirmat derivatio; namque vocem *exilii* ab *ex*
&

& *solum* derivatam & coagmentatam esse, & *exu-
lem* quasi *ex solo*, id est, *solo ejectum* dici satis con-
venit, videbis *Vossium de Art. Gramm.* pag. 226.
& antiqui ideo *exsoles* dicebant, inquit *Cæstelius*
apud *Cassiodorum de Art. Gramm.* c. 10. quod &
confirmat *Plauti Pseudolus Act.* 4. *ut exsolatum ex
pectore aufugiat meo.*

Eadem analogia dicuntur extorres, quasi *ex
terra* aut *extra terram* ejecti; plane Hispani, quasi
hanc Etymologiam confirmaturi, *desterrados* vocant.
Eosdem medio ævo invaluit *Bannitos* dici. *Ban-
nitorum* autem & *Banni* appellationem, ex illuvie
illa gentium septentrionalium, quæ & Romanæ
linguæ, & omni cultiori doctrinæ pestem attulit,
natam esse vix dubitem, nec moror illos, qui
Bannitionem quasi *itionem*, sive *ejectionem* e bonis
dici volunt, vel a Germanorum *Baan*, quod vi-
am spatiosam significat, deducunt, vel denique
ἀπειναυτισμον Eustathii huc referunt. Ceterum τὸ
bannire varios medio ævo significatus habuit, quos
hic exponere non attinet. Videri potest *Pithæus lect.*
subc. 1. 2. *cap.* 12. Græcis exilium dicitur *φυγή*. Est
et *ἐξόρισμος*. Atticis quoque usitata vox *ἐξείλκειν*
vel *ἐξίλλειν* ab *ἐξέλλω* expello (unde aliquis suspicari
possit Latinorum exilium natum esse) quod idem
est

est Harpocrati & Suidæ quod ἐξαιρεῖν, καὶ ἐξώθειν καὶ ἐκβάλλειν. Inde descendit ἐξελθὴς δική (quæ Latinis est *Actio ex Interdicto unde vi*) cujus frequens mentio in *Orat. Demosthenis*.

Sed jam Exilium definiamus. Nempe in jure exilium pœna est, qua quis cogitur locum commutare non sine infamia. Frequenter quidem exules simpliciter dicuntur, qui, patria quacunque de causa relicta peregrinas sedes quærunt aut incolunt, nulla infamiæ macula notati. Sic his, qui Auctore Metello e clade Cannensi Italiam metu Hannibalis deseruerunt aliorum commigraturi, occidit *Sil. Ital. Lib. 10.*

Dux erat exilio collectis Marte Metellus,
qua propter etiam *Ciceroni Tusculan. lib. 5.* exilium nihil differre visum est a perpetua peregrinatione, quam plures susceperunt animi causa, & *Seneca Cons. ad Helv. cap. 6. videamus,* inquit, *quid sit exilium? nempe loci commutatio est.* γῆν προγῆς proverbio dicunt Græci; proprie tamen exilium pœna est iudicio inflicta, qua simul infamia condemnato intenditur, utpote, qui eo solo, quo expellitur, indignus judicatur. Itaque *Dioni Cas- sio* est ἀποδημία τις ἄτιμος, peregrinatio quædam ignominiosa, & *Homerus* alibi *exulem* vocat ἀτιμῶν

μῆτον μεταβάσιν & Seneca l. c. subjungit: hanc commutationem loci sequuntur paupertas, ignominia, contemptus. Ac plane ut appareat, sic sensitisse Romanos, Agrippina Senecæ exilium tanquam probrum objectavit, ut auctor est Tacit. *Ann. Lib. 13.* Non quidem reapse omnes exules infames esse, sed ex intentione judicis, atque hostantum, qui peccato suo exulis nomen subeunt, recte monet Cicero *Orat. pro Domo sua: quid enim est exul?* ipsum per se nomen calamitatis non turpitudinis. Quando igitur est turpis? revera, quando est poena peccati.

SECTIO TERTIA.

De Origine Poenae Exilii

§. I.

Exilii poenam, ut jam innui, natura ipsa inter homines introduxit.

Eam sponte quærunt, & subeunt illi, quos ob flagitiorum conscientiam pudor, verecundia, vel saltem poenæ metus conspectu & commercio hominum arcet, & quibus solum, quod onusto crimine

mine pede calcant, infestum & invisum esse solet.

Hanc utique sententiam primus omnium mortalium læsi numinis reus subiit, non solum mortalitate, hoc est, obnoxia morti vita, sed & relegatione damnatus, in ergastulum terræ laborandæ relegatus, ut ait *Tertull. adv. Marc. Lib. 2. cap. 2.* ex quo sane omnes hisce in terris exulamur, ac extra patriam vivimus. *Homo*, inquit *Plutarchus Libro de Exilio* non planta est terræ infixata aut immobilis, sed cœlestis, cujus tanquam e radice caput sursum erectum in coelum dirigatur.

Exilii etiam poenam ob flagrantissimum scelus in fratre admissum Deus & conscientia iudex inflixit Caino *Gen. 4. vs. 14.* hodieque dicitur illis, qui solum finesque, quibus continentur, criminibus suis commacularunt: sed & exilium inter plerosque omnes populos in numero poenarum civilium fuisse nemo ignorat, & testimonia hac de re prorsus superflua facile ratione compensat, qua quisque ex primo omnium civitatum societatumque instituto fluere intelligit, juribus civitatis & societatis privandum, eaque eliminandum esse, qui legibus ejusdem contineri nequit.

Sane gravissimum damnationis genus ab omni tempore habitum est, si quis natale solum, vel

quod sibi loco natalis est, vertere juberetur, nec immerito, nam & natura animis nostris indidit desiderium & amorem ejus loci, quo primum nascentes excepti, vel cujus gremio diutius foti sumus, & consuetudo, ac convictus propinquorum, sodaliumque, sacrorum & Reipublicæ communio, locorumque ipsorum familiaris usus adeo cives inter se & patriæ suæ devincit, ut omnes fere gentes severissime cum eo agi crederent, quem solum vertere jubebant. Audiamus querelam exulis apud *Libanium Declam.* 30. πρῶτον μὲν ἱερῶν &c. *primum quidem sacris & genere propinquis sejungor, & patriam hanc, & sepulcra majorum, & monumenta linquo, & gloriam parentum, & narrationes historicas, non amplius patrios Deos sed genios peregrinos & errantes adorabo.* Cui germana est querela *Ciceronis de malis exilii orantis pro Domo sua.* Non mirum igitur eo usque valuisse malorum, quæ exules comitantur, sensum, ut barbaræ quædam ad Caucasum gentes, non ullius delicti poenam capite, sed tantum exilio persolverent, si fides est *Straboni Geograph. lib. II.*

II.

Quoniam, ut vidimus, exules dici possunt, quicumque solum quacunque de causa vertunt,
non

non inepte exilium in *voluntarium* & *necessarium* distingueres; nam & peregre eundi, vel vitandæ oppressionis aut expediendæ difficultatis, quibus intra hosce fines premimur, vel immunitatem intra alios fines consequendarum causa, vel denique pœnæ ob crimen aliquod admissum metu solum mutamus, quo postremo in casu exilium voluntarium frequentissime ab Auctoribus & in jure dicitur, Livius utique, aliique auctores Latini, sed & Græci hac appellatione usi sunt. Ælianus *Φυγὴν ἀνθελρετον* dixit, sic & Dio Camilli secessum vocat *ἐκούσιον φυγὴν*. Nempe id, quod imperatur, *necessarium* est, illud, quod permittitur *voluntarium*, inquit, *Tull. Lib. 2. de Invent.* Antiquissima autem occurrunt exilii voluntarii vestigia. Casus fortuiti apud Græcos exilio voluntario luebantur, inquit *Saturnin. l. 16. D. de Pœn.* certe apud antiquissimum auctorem *Homerum* anima Patrocli Achillem allocuta ait, se ad ejus domum deductum parvulum ex Opoente propter cædem, quam patraverat,

Νήκιος ἐκ ἐθέλων, ἀμφ' ἀτραγάλοισι χολωθείς

Iliad. 23.

Imprudens non volens, in ludo talorum excandescens.

B 3

quin

quin & ritus expiationis ejusmodi homicidis observandus exhibetur *Iliad. ult.* quem & confirmat historia Adraſti Phrygis Croeſique Lydorum regis apud *Herodot. in Clione & Xenoph. de Exped. Cyri. Lib. 4.* Dracontium Spartanum, puerum adhuc, exulatum iſſe perhibet, quod alium puerum ſalcato gladiolo incautus nec ſponte interemiſſet. Legem ipſam hac de re, ſive morem legis inſtar apud Græcos obſervatum nobis exhibet *Petitus in Eruditiffimis ad Legg. Att. Comment. Lib. 7. Tit. 1. §. 9. & 10.* Verofimile autem eſt, exilium eo in caſu non tam in pœnam inconſultæ necis, quam potius eo conſilio reum ſubiſſe, ne imprudens occiſi cognatorum inſidiis & vindictæ pateret. Plane divinam legem, quæ Aſyla illis conſtituit, qui citra animi deſtinationem cædem patraſſent, eo ſpectaſſe, ut miſeris conſuleretur, eſſetque, ubi tuto degerent, certum eſt.

■ Sed de exilii origine acturus Romam venio, ubi primum exilii exemplum in Tarquinio ultimo Romanorum rege ſtatutum eſſe, cui ob flagitium in Lucretia perpetratum Romam e caſtris appropinquanti, ut iudicium populi occuparet, clauſas portas exiliumque indictum legimus apud *Liv. lib. 1. in fine.* Plebiſciti ipſius, quo id factum eſt, ver-

verba nobis exhibet *Dion. Halicarn. Lib. 4. δέδοκται γὰρ ἡμῖν φεύγειν Ταρκύνιους πόλιν τὴν Ρωμαίων.* Paulo etiam post, excusso jam regio jugo, Tarquinius Collatinus partim consilio amicorum, partim metu, ne ob Tarquini nomen infestus sibi populus gravius in personam suam consuleret, Roma excedere adactus est, & erat hæc species quædam exilii voluntarii.

Secutis autem temporibus insigne hoc specimen libertatis admissum & receptum fuit, ut reis judicium metuentibus copia esset ante sententiam latam alio abeundi, nec tam exilium inter pœnas numerari, sed ut remedium evitandæ damnationis quæri & appeti, ut planissime *Cicero Orat. pro Cæcinnâ*: exilium non supplicium, sed perfugium portusque supplicii.

Laudat & commendat hunc Romanorum morem *Polyb. lib. 6. ubi καὶ γινεται &c. observatur*, inquit, in hujusmodi judiciis dignum quid laude & memoria; nam qui capitis causam dicunt, potestatem ex more gentis habent, dum celebratur de iis judicium, abeundi palam in spontaneum secedentes exilium; etiamsi vel una ex tribubus, quæ habent ejus judicii auctoritatem, suffragia nondum tulerit. Exempla passim occurrunt. Popilius Prætor lege
qua-

quadam reus, non expectato iudicio, ex Italia solum vertit, teste *Plutarcho in Caji vita*. De Cn. Fulvio narrat *Livius lib. 25*. eum priusquam dies comitiorum aderat, exulatum Tarquinius abiisse, atque id ei iustum esse exilium scivisse plebem, ne alia exempla hic adducam.

Negari interim nequit, exilium populi suffragiis identidem irrogatum fuisse, nec succedente ætate semper ita liberum fuisse reis in exilium ceu in portum confugere, quin sæpe vades dare cogentur, qui sub pœna caverent populo reum iudicio sisti; cuius rei primum, quoad novi, exemplum occurrit in Cæsone Quinctio, qui & vades dare coactus fuit, & vadibus datis, cum in Tuscos secederet, nihil eo secessu impedivit, quin pecunia sive multa inclementer satis a vadibus extorqueretur, *Dionys. Lib. 10*. Observat quidem *Livius*, Cæsone[m] primum vades publicos dedisse, at id ipsum, ut desistendis iudicio reis caveretur, deinde frequentius placuisse docet *Tacit. Ann. lib. 25*. *singulis dein eorum rei capitalis diem dicere, ac vades pascere cœperunt. Primo non dantes, deinde etiam eos, qui dare possent, in carcerem conjiciebant, cuius rei periculum evitantes plerique in exilium abierunt. Illis vero, qui in carcerem fu-*
issent

issent conjecti, non nisi remisso prius ultimo supplicio datam exulandi copiam exemplo Marci Claudii discimus, quod refert *Livius Lib. 3.*

III.

Exilium autem spontaneum in capitis causa ut plurimum observabatur. In pecuniariis causis exilium reo nihil profuit; nam & absentibus multa dicebatur, ut constat exemplo Camilli, qui etsi ante diem damnationis in exilium abierit, *absens quindecim millibus gravis æris damnatur*, inquit *Liv. lib. 5.* Ardeam concesserat Camillus, neu inde corporali aliqua contumelia afficiendus deduceretur, etiam absentis nomine amici multam solverunt, teste *App. Ital. lib. 2.* τὰ μὲν ἐν χρήματα οἱ φίλοι συνσήνεγκαν, ἵνα μὴ ὑβρισθεῖν τὸ σῶμα τοῦ Καμίλλου.

IV.

Cæterum antiquissimo jure Romano, non quidem scripto a Majoribus tradito introductum, & longo usu confirmatum fuit, civem Romanum, licet noxium, & ultima supplicia meritum, vita, libertate aut civitate privari non posse, cujus rei testimonia exstant apud *Cicer. Orat. pro A. Cæcina.*

C na,

na, pro Domo sua, pro Cornelio Balbo, itemque Cæsaris apud Sallust. de bello Catilin. quæ cum passim obvia sint, hic adferre non attinet.

Origo hujus juris haud dubio in meritis antiquorum civium erga Rempublicam quærenda est, cum enim primis temporibus singuli cives pro Republica militarent, eamque contra vim hostium ipsi defenderent, indignum videbatur, vita, libertate, aut civitate spoliare eum, qui sibi eam suapte manu adseruisset.

Accedit, hisce poenis capitalibus primis Reipublicæ temporibus non facile locum fuisse, quippe quibus mores civium ad virtutem magis & præclara facinora, quam scelera & flagitia vergerent, quibus sequiori ætate opulentia, & fastus, imprimis vero commercia cum aliis populis ansam & materiem præbuerunt.

Hæc tamen jura a majoribus parta & constituta etiam corruptis civitatis moribus penes cives mansere, ut ex testimoniis laudatis liquet, ne tamen civibus impune etiam gravissima crimina patrare liceret, inventus modus est & ratio, qua cives, qui se jure & privilegiis civitatis indignos gererent, ea salvo majorum instituto expellerentur.

Ita-

Itaque atrocioris criminis reis & convictis aqua & igni interdici coeptum est.

De qua aquæ & ignis interdictione, cum multus passim apud auctores & JCtos Romanos occurrat sermo, mihi quoque nonnulla dicenda erunt.

V.

Nostro in casu aqua & igni interdicare formula pœnæ legitimæ erat, qua illi, qui civitate indignus videbatur, nulla exilii facta mentione, aqua & igni interdicebatur: addunt alii tectum. Cicero pro domo sua: non ademptione civitatis, sed tecti, & aquæ & ignis interdictione, & Juven. Sat. 4.

Ultimus autem

*Ærumnæ cumulus, quod nudum & frustra
rogantem*

*Nemo cibo, nemo hospitio tutoque (l. tecto-
que) juvabat.*

Nec vero diu erat, quod is, cui hoc modo aquæ & ignis usû interdictum esset, secum deliberaret, utrum hisce rebus ad vitam sustentandam necessariis privatus in civitate manere, an ea migrare vellet, nimirum vita

*Stabat in his, neque enim poterat constare,
sine ipsis.*

& Ovidius *Fastor. Lib. 4.*

*An quod in his vitæ causa est, hæc perdidit
exul?*

notissimus locus est *Lactantii Instit. Divin. lib. 2.* igni & aqua interdici solet, & interdicto usu earum rerum, quibus vita constat hominum, perinde habebatur, ac si is, qui eam sententiam exceperat, morte multatus esset; adeo ista dua elementa prima sunt habita, ut nec ortum hominis, nec sine his vitam crediderint posse constare.

Sequebatur itaque, ut, cum earum rerum usu carere non posset vitæ servandæ causa, exilium ultro amplecti cogeretur, non quidem vi sententiæ, quippe quæ exilii nullam continebat mentionem, sed quod reo ex hac poena summa ratio & necessitas imposta fuerit, solum, quod aquam ignemque sibi negaret, permutandi cum alio, quod harum rerum usum sibi non invideret.

Ipsam præceptum exulem non recipiendi sese ultra ditionem Romanam non extendit, nec etiam socias gentes spectabat: *Polyb. lib. 6. ἐστὶ, inquit, ἀσφάλεια &c. exulibus impune degere licet Neapoli,*
Præ.

Præneste, Tibure, item in aliis urbibus, quibus hoc jure foedus intercedit cum Romanis. Livius adeo lib. 43. Furium Præneste, Matienum Tibur exulatum abiisse perhibet.

Sequenti ævo, quo Roma totam fere Italiam sui juris fecerat, & plurimum fere orbem, tutum fuit exilium Massiliæ in Gallia. *Catilina apud Sallust. se, quoniam inimicorum factioni resistere nequiverit, fortunæ cedere, Massiliam in exilium proficisci, dicit.*

Quod igitur *Paulus l. 2. D. de publ. Jud.* dicit, aquæ & ignis interdictione caput civitate eximi, dicere censendus est, non vi interdicti hoc fieri, sed necessitate consequentiæ, aut certo id de feriori ævo accipiendum. Nec Græcis hoc poenæ genus inusitatum fuisse, quod dicunt *πυρὸς καὶ ὕδατος ἐπέσειν*, testis est *Dion. Halicarn. lib. 4. cap. II.*

Constat etiam ex *Plutarcho de Invid. & odio*, Athenienses Anyto & Melito, Socratis accusatoribus, aquæ & ignis usum negasse, nec interrogantibus respondere voluisse: quod etsi nonnullis prorsus inhumanum atque inclemens fuerit visum, derivari haud incommode potest, ex populi ejus lege de aqua & ignis interdictione, *ἐπεγμονὴ πυρὸς καὶ ὕδατος*, cujus Oratores & Jcti Attici, *Demosthenes in Aristogiton. & Lycurgus in*

eundem, atque alii frequenter meminerunt. Hinc Græcos in hac pœna infligenda præivisse Romanis probabile fit.

Quando autem & qua ætate in linguam & usum Romanum venerit hæc interdictio etiamnum incompertum videtur, nec facile *Dionysio* fidem adhiberem, qui jam Romuli ætate notam & usurpatam fuisse testatur. Scilicet Romulum eis, qui Lavinienfes legatos violaverant, aqua & igni interdixisse, *lib. 2.* sane vix credibile est hos circuitus pœnarum placuisse rudi & prorsus militari seculo. Forte *Dionysius* per *πρόληψιν* phrasin & loquendi modum suæ ætatis ibi applicat.

Verosimillimum est, lege Decemvirali hoc pœnæ genus primum constitutum; nam & formula, qua irrogabatur, verbis lege præscriptis videtur fuisse concepta, & origo pœnæ (siquidem a Græcis ad Romanos transit, quod tamen haud ita certum esse fateor) denique ætas huic conjecturæ favet; quippe reum punire, & urbe submovere, ipsa tamen jura civitatis, quibus gaudet, inviolata servare, illi ætati, qua libertas Romæ maxime florebat, apprime videtur convenire.

Cui hoc modo aqua & igni interdictum est, is ideo cogebatur in aliquam civitatem exteram se

con-

conferre, quod a nemine ditionis Romanæ recipi potuerit, qui postea enim talem celasset vel tenuisset, *Lege Julia de vi privata* tenebatur. *Paulus ad L. Jul. de vi publ. & priv. tit. 26. vs. 3.*

Aliquando etiam specialius singulari in casu de non recipiendis cautum fuit; sic ut de Ciceronis Exilio specialis lex (*Clodia*) lata fuit, sic & de eo, qui eum reciperet, in specie cautum erat; ut ipse testatur *Cicero pro Domo sua cap. 20.* ex dictis autem conficitur, aquæ & ignis interdictionem proprie non fuisse exilium, sed exilium eam voluntate ipsius condemnati secutum fuisse.

Inepte igitur hæc pœna inter species exilii refertur, cum ejus tantum fuerit consequens, quod condemnatus salva vita nullo modo evitare potuit, nec interdictus eo, quod Romana ditione cederet, jura civitatis amisit, ut quæ amitti non poterant, sed eo tantum, quod alteri civitati adscriptus esset; ut luculenter apparet ex *Orat. laud. Cic.* & exemplum Attici docet, qui propterea civitatem Atheniensem detrectavit, ne civitatem Romanam amitteret. vid. *Nep. in Attico cap. 3.*

Nemo enim jure Romanorum publico eodem tempore duarum civitatum civis esse poterat, cujus juris hæc summa erat ratio, ne, qui duarum

civitatum consors esset, diviso in civitates esset studio.

Sunt, qui existimant, aquam & ignem non ipsa elementa sensu proprio, sed divinas humanasque res repræsentare, id est, sacrorum juriumve in civitate usum, sed præterquam quod nemo ex antiquioribus JCtis hæc ita interpretetur, Græcis, qui hanc ipsam pœnam condemnatis nonnunquam inflixerunt, id vi hujus sententiæ intendisse, ut condemnato omnem humanam opem interdicerent, exemplum Alcibiadis apud *Justin. lib. 5. c. 1. § 5.* evincit, qui Deorum execrationibus per omnium sacerdotum religiones ita erat devotus, ut omnem ei humanam opem Athenienses interdicerent, atque hoc illud ipsum esse, quod Romani aqua & igni interdicens volebant, satis constat.

Ut ut sit, aquæ & ignis interdictio condemnatos in exilium duxit, meque eo, ut jam de exilio ipso ejusque speciebus specialius agam, ducit.

SECTIO QUARTA.

De speciebus Exilii.

I.

Exilium, inquit Marcianus *l. 5. D. de interd. &c.* triplex est, aut certorum locorum interdictio, aut lata fuga, ut omnium locorum interdicitur præter certum locum, aut insulæ vinculum, id est, relegatio in insulam, verum alio modo Ulpianus, relegatorum duo genera esse dicit, quosdam, qui in insulam relegantur, alios, quibus simpliciter provinciis interdicitur, non enim insula assignatur, quos ipsos diversam hanc divisionem exilii instituendo inter se dividi, imo pugnare videri possit; cum enim *Marcianus* triplex dicat esse exilium, *Ulpianus* duo relegatorum genera constituat, atque in his esse, qui in insulam relegantur, quos ipsos tamen non relegatos, sed deportatos vocari docet *l. 17. §. 1. D. de Pæn. l. 10. §. 6. D. de in jus voc. & Ovidius* quodammodo sese consolatur, quod non exul, sed relegatus esset, *lib. 5. Trist. Eleg. 12.*

Quippe relegatus, non exul, dicor in illo.

D

Et

Et alibi

*Ipse relegati, non exulis, utitur in me
Nomine.*

vario autem modo hos inter se conciliare studuerunt viri docti, nec possum, quia ad concordiam horum auctorum ipse etiam aliquid conferam; quem in finem nonnulla præmittam observata, quæ mihi quidem ad Ulpianum Marciano conciliandum facere posse videntur, nimirum (1) observandum, exilii nomen generale esse, omnibusque speciebus, quas sub se continet, vi significationis adoptari posse, & id ipsum ab Jctis sæpe factum fuisse.

Hoc utique modo Paulus aquæ & ignis interdictionem exilium interpretatur, *l. 1. D. de publ. jud. & Cic. lib. 2. Rhetor. cap. 28.* omnes, quibus aqua & igni interdictum est, exules esse scribit.

Exilii nomen etiam de deportatione sumitur *l. 13. § 1. D. de don. inter vir. & ux.* ipsa autem relegatio fere exilium temporale dicitur *l. 39. D. de pœn. l. ult. D. de injur.* (2) strictius & sensu minus lato status eorum, quibus aqua & igni interdictum est, exilium dici solet, verum alia longe conditio

tio hoc modo interdictorum erat, libera adhuc, & potestate Imperatorum nondum pressa, Republica, quippe, ut vidimus, ante Cæsares nemo civitatem amittebat, nisi ipse ejus rei auctor fieret; at corrupta Republica & vulgatis civitatis juribus hoc majorum institutum pedetentim enervatum est, ac invalescente Imperatorum auctoritate penitus exolevit; sub & ab his enim, quibus aqua ignive interdicebatur, illi eo ipso ad peregrinitatem reducebantur, quare nec toga amplius iis licebat uti. Vid. *Sueton. in Claud. cap. 15. & Plin. Epist. lib. 4. Ep. 11.* quare & pro capite minutis habebantur; retentum quidem antiquum poenæ nomen, sed hoc additum, ut ipso exilio damnati censerentur.

Diserte *Tacitus Ann. lib. 6. cap. 30. Servilius*, inquit, *Corneliusque in insulas interdicto aqua & igni demoti sunt*; ex quo loco manifestum est, exilium directe interdictis irrogatum fuisse, quin & hoc amplius suasu *Liviæ*, uxoris suæ, teste *Dione Cassio lib. 55. pag. 561.* Augustus addidit, ut, cum antea ditione Romana pulsî ubivis vagandi potestatem reliquam haberent, certo loco præsertim in insulam concluderentur, ac tum proprie deportati, & hoc eorum exilium exilium deportationis dictum

fuit. (3) hoc autem postremo sensu exilium relegationi opponitur, tum ab *Ovidio l. c.* tum pasim a juris auctoribus, multum namque inter relegatum & deportatum, sive exulem proprie dictum, interfuisse postea videbimus.

I I.

Eorum autem, qui relegati essent, duo genera in *l. alleg.* recenset *Ulpianus*, qui proin non id agit, ut exilii, sed ut relegationis, pœnæ exilii longe levioris, ut quæ neque civitatem neque libertatem ademit, species enumeret. Relegatos autem *Ælius Gallus* apud *Festum* definit eos, quibus ignominia aut pœnæ causa necesse est ab urbe Roma aliove quo loco abesse *Lege, Scto*, aut edicto *Magistratum*,

Horum alii erant, qui simpliciter relegabantur, ut provinciis iis interdiceretur, nullo certo loco, vel insula, qua clauderentur, iis assignata, *l. 7. D. de interd. & releg.* alii vero in insulam relegabantur, *l. 4. l. 24. l. 28. l. 30. D. de pœn.* eamque relegationis speciem pœnam insularem vocat *Ammian. Marcell. lib. 15. Cap. 17.*

III.

Aliud vero sibi vult in lege laudata Marcianus, is namque non relegationis, sed exilii generaliore sensu sumti species enumeraturus, eas fuisse dicit vel certorum locorum interdictionem, vel latam fugam, vel in insulæ vinculum, in qua postrema dictione *τὸ in expungendum* vult *Voet Comment. ad Pand. pag. 1110.* sed absque necessitate, cum nihil vetet dicere exilium in insulæ vinculum, id est, exilium vel relegationem in locum insularem conclusum, ita ut sub hac tertia exilii specie tum deportationem tum relegationem in insulam hac dictione complectatur Marcianus: plures autem in hanc exilii divisionem a Marciano factam varioque modo commentati sunt interpretes, atque hoc imprimis plerosque fugere videtur, quid per latam fugam in hac lege intelligendum sit.

Si cui placet, quod Cl. Voet juxta cum aliis existimat, gradatim hic species exilii Marcianum recensere, hoc nimirum servato ordine, ut a leviori exilii specie ad duriozem progrediatur, non improbabile fit, per latam fugam hic intelligi poenam exilio non absimilem, qua quis certo, sive patientiori, sive angustiori loco ita concluditur, ut o-

omnia alia loca vitare & fugere debeat, partim quod ipse Marcianus latam fugam hoc sensu interpretari videatur, partim quod hæc omnium locorum, præter certum locum, interdictio medium quoddam genus inter certorum locorum interdictionem, & insulæ vinculum constituat.

Hac adeo significatione lata fuga dicitur, quod interdictum undique fugere, & in loco sibi assignato se continere necesse sit, quod contingit secundum Ulpianum, quando Præses aliquem condemnat, ne de domo sua procedat, *l. 9. D. de interd.* vel ut in certa provinciæ parte moretur, civitatem aliquam aut patriam non excedat, regionem aliquam non egrediatur, *l. 7. §. 8. & 19. D. d. t.* sed præterquam quod intellectu difficile sit, quo sensu & usu vocis talis interdictio vel exilium vel lata fuga dici queat; cum contra vi hujus poenæ non exulat, sed certo sese tenere loco, nec fugere, sed cum maxime intra terminos sibi assignatos subsistere condemnatus debeat; præter hæc, inquam, lata fuga multo aptius quadrare videtur in eos, quibus simpliciter nulla exilii facta mentione aqua & igni interdictum erat: his enim, quoque vellent, fugere licebat.

Latinorum utique fuga Græcorum *φυγή* est, quæ

quæ vox procul dubio libere ubivis vagandi potestatem dicit. Itaque *Corn. Tacito, Ciceroni, aliisque* fuga dicitur pro exilio, *Tacit. lib. 4.* quoties, inquit, fugas & cædes jussit princeps, toties gratiæ Deo actæ. *Cicero in Epist. quad. ad Att. lib. 9.* hæc fuga, quam tu peregrinationem appellas, & *Tusculan. 3.* exilii moestam fugam, eodem sensu *Ovid. lib. 3. Trist. Eleg. 8.*

Mutato levior fit fuga nostra loco.

& *Eleg. 14.*

Fuga dicta mihi, non est fuga dicta libellis.

atque ut prorsus constet, in exilium & fugam abire idem esse, *Idem Heroid. Ep. 12.*

Exulet, & toto quærat in orbe fugam.

Si igitur fuga exilium est, lata fuga latum seu liberum exilium erit; prorsus sicut longe lateque peregrinari, ita late fugere nullis certis limitibus clausum iter significare debeat.

Porro si lata fuga est interdictio omnium locorum, & in certo loco inclusio, vix excusari possunt scriptores, qui, hujus pœnæ reo cuidam inflictæ mentione facta, non etiam locum commemorant,

rant, cui reus inclusus, quoque circumscriptus fuit. Ne jam hic adferam notissimum locum *Amm. Marc. lib. 19.* ubi latam fugam in prioribus dictam per exilium in sequentibus interpretatur. Leges, inquit *Cæsar apud Sallust. de Bello Catil. in Orat. de conjur.* condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti jubent; *permitti*, ut nimirum, quo vellent, sese conferrent.

Sic plane lege, qua Ciceroni aqua & igni interdictum est, etiam permissum erat, ut liceret illi esse ultra quadraginta millia, *lib. 3. ad Attic. Ep. 3.*

Sed quid dicemus ad verba Marciani, *ut omnium locorum interdicator*, Alexandrum aliquem arcessemus, qui hunc nodum secet. Hoc violento consilio usi fuere *Cujac. in not ad Pauli sent. lib. 5. Tit. 17. Gull. Budæus in Annot. reliq. ad Pand. &* qui hos secuti sunt alii bene multi, qui hunc locum Marciani emendandum, & lectionem refingendam esse censent, ut sic habeat: exilium triplex est, aut certorum locorum interdictio, aut lata fuga, aut omnium locorum præter certum &c. Tum vero haud adeo difficilis fuerit juris interpretatio, si delere, fingere, & quidvis, quod ingenio magis placeat, appingere & substituere liceat; hoc enim
vero,

vero si liceat interpreti, eidem jus datum sit oportet ferendarum legum, cum haud alio jure mutantur leges, quam quo feruntur. Mihi adeo, quoad ejus fieri potest interpretis potius, quam sectoris, aut fictoris partes agere satius videtur.

Quid? si dicamus, exilium voluntarium, quod aquæ & ignis interdictionem sequebatur, olim nomine latæ fugæ venisse, retentas etiam postea sub Imperatoribus voces, cum ut *ex testimonio Taciti*, Servilio & Cornelio contigit, condemnati non per consequentiam, sed directe, & vi ipsius sententiæ aqua ignive interdicti in insulam demoti sunt, atque eo tempore latam fugam ipsius deportationis consequens designasse, quod erat, ut hoc modo demoti in certum locum omnibus locis præter illum, cui addicebantur, abessent.

Marcianum proinde describere aquæ & ignis interdictionem & ejus consequens, ut sub Imperatoribus obtinuit: nec certe insolens pœnæ nomen etiam habitu & facie ejus mutata retinere.

Quod si tamen cui prior interpretatio potior videatur, huic eam ob causam bellum non indicemus, sed jam propius & specialius de singulis exilii speciebus ad ductum inscriptionis *Tit. 22. Lib. 48. D.* qui hanc materiam exhibet, agam.

SECTIO QUINTA.

De Interdictis.

§. I.

Interdicere propria & nativa significatione, secundum *Justinianum* §. 2 *Inst. de Interd.* est denunciare, & prohibere, hinc eodem referente sunt, qui putant, interdicta tantum ea vocari, quæ aliquid prohibent, reliqua, quæ aliquid edicunt vel jubent, ut sunt restitutoria & exhibitoria, proprie decreta esse.

Ufus tamen vult, omnia uno vocabulo interdicta appellari, plura de vocis significatione dabit *Brisson. de Verb. Sign. voce Interdicere.*

I I.

Interdicti in genere dicuntur illi, quibus ob delictum aliquod, & in pœnam certo loco, vel honore, vel ordine, vel possessione, vel negotiatione, vel conductione vectigalium, vel advocacione, vel foro, vel & spectaculis inter dicitur, *Vid l. 1. §. 13. D. de off. præf. urb. l. 9. l. 28. D. de pœn l. 7. l. 8. de interd.* Hic mihi potissimum sermo est de illis, qui-

quibus certo aliquo loco, domo puta, urbe vel regione interdicitur, l. 7. §. 10. l. 9. D. de interd. hanc certorum locorum interdictionem inter species exilii recenset, ut vidimus, Marcianus.

Civibus Romanis, salva & integra adhuc Republica, urbe patriave nunquam interdictum fuisse, atque illud etiam fuisse in juribus civium, ne Civitate & Penatibus suis arceri possent, ac primum ejus poenae civi irrogatae exemplum a Gabinio Consule in Lamia equite statutum fuisse nonnulli colligunt ex *Orat. Cic. pro Sexto*: ubi nihil inquit acerbius socii Latini ferre soliti sunt, quam id, quod perraro accidit, ex Urbe exire a Consulibus juberi, atque illis tum erat reditus in socias civitates ac suos lares familiares, ac in illo communi incommodo nulla in quemquam propria ignominia nominatim cadebat. Hoc vero quid est, exterminabit cives Romanos edicto Consul a suis Diis Penatibus? expellet e patria, deliget quem volet? damnabit atque ejiciet nominatim? verum nisi me omnia fallunt, haud ita clare ex hoc loco Ciceronis apparet, civem nunquam edicto & judicio populi prægresso civitate & patria ejectum fuisse. Exempla civium judicio populi in exilium ejectorum, quorum exilium, quod sponte subierant, suffragiis populi justum,

adeoque necessarium, & pœnale declaratum est, supra §. 2. *Sect.* 3. allata contrarium, ni fallor, evincunt.

Sane Cicero ex eo potissimum indignari videtur, quod Gabinius Consul sua auctoritate, nullo S^Cto, edicto, aut lege lata id facere ausus sit, ac si idem illud jus haberet in civem Romanum, quod in socios Latinos. *Civem*, inquit, *Romanum* sine ullo iudicio aut edicto ex patria consul ejecit. Obstare videntur, quæ idem in *Ep.* 16. *lib.* 11. *ad Brutum* scribit, Lamiam a Consule relegatum fuisse, atque id civi Romano Romæ contigisse nemini: quæ tamen verba, si de auctoritate & potestate consulis, quæ eo usque nunquam processit, *l.* 14. *D. de interd.* accipiuntur, nondum ex iis liquet, civi Romano nunquam urbe interdictum fuisse, licet fatendum sit, ejus facti haud ita multa exempla ab antiquis auctoribus commemorari. Gabinius tamen suo exemplo suæque potestatis abusu præivisse videtur Triumviris & Imperatoribus, quorum potestate cives quam plurimos urbe & patria expulsos & relegatos fuisse satis constat.

III.

Romæ, inquam, hanc potestatem Imperatores,

res, & qui, Principe absente, quietem urbis fidei suæ commissam tuebantur, Præfectori Urbis exercuere, in provinciis vero Præsides; consulendus *Campianus de officio & potestate Magistratum Romanorum pag. 146.* Illud hic quæritur, an Præsides etiam ultra tempus administrationis provincia, arte vel alia re interdicendi jus habuerit? Negat id *Paulus l. ult. D. de pæn. cum contra Ulpianus l. 9. in pr. d. t.* Præsidem nonnunquam in perpetuum, nonnunquam in tempus interdicere dicat; quam ἀντινομίαν facile erit in concordiam redigere, si modo ad diversa tempora, quibus Præsides provinciarum jus illud interdicendi exercuerunt, respiciamus.

Licet enim uterque horum]Ctorum tempore Antonini Caracallæ vixerit, ac propterea magis etiam secum invicem consentire debere videantur, præsertim quod Antoninus speciali constitutione jus illud in perpetuum interdicendi Præsibus ademisse dicatur, simul tamen recte aliquis exinde inferat, Præsibus hanc ante constitutionem hocce jus concessum fuisse, fieri adeo potuisse, ut Ulpianus, qui Præsibus illud attribuit, suos de officio Proconsulis libros ante conscripserit, quam dicta Antonini constitutio promulgata esset, ut quæ de-

mum sub finem imperii ejus prodiisse videtur, argumento non contemnendo, *l. 1. C. de postul.* ex qua lege ab ipso Antonino lata jus illud in perpetuum interdicendi Præsidibus provinciarum nondum ademptum, ac adeo constitutionem, cujus *Paulus d. l.* meminit, serioribus temporibus editam fuisse, non inepte colligitur.

Cui autem certo loco vel regione interdictum fuit, ei reliqua loca usque patebant, ut, quocunque vellet, se conferre posset; quo adeo nomine exulem quendam Sardibus ejectum solatur *Plutarch. πρὸς Πυρρῆς: σὺ δὲ οὐχ ἕνος &c.* tibi cum non sit unus adsignatus locus, sed uno prohibitus, qui unum interdixit tantum, aliorum omnium potestatem fecit. Recte igitur hoc exilii genus liberum, vel exilium a loco dixeris, cujus tota pœna in eo posita erat, ne eo loco degeret & inveniretur, quo ei interdictum fuit. Ex hoc autem genere exulum sunt, quibus adsignantur fines, certusque milliarius numerus, quem excedere debent. Tale fuit Ciceronis exilium, cui, ut ultra centesimum lapidem Roma abesset, interdictum fuit. Tiberius, ut Appuleja adulterii rea ultra ducentesimum lapidem ab Urbe more Majorum removeretur, suavit, referente *Tacito Ann. lib. 2.* Urbe etiam

&

& Italia identidem prohibiti Mathematici, teste *Valer. Max. lib. 1. & Tertull. de Idol. cap. 9.*

Nec Urbe tantum, sed & certa parte Urbis non nunquam interdici solitum fuisse, quodammodo e *lege 9. §. 6. De pæn.* colligitur. Domo quidem Principis sæpius interdictum: benignitatemque Augusti eo nomine maxime commendat *Seneca de Ira lib. 3. cap. 23.* quod Timogenem historiarum scriptorem sibi maledicum domo tantum sua interdixerit.

I V.

Simili modo Græci homicidas non patria tantum prohibebant, sed & eis interdicebant ἀγορᾶς, ἐφορίας, καὶ ἄθλων, καὶ ἱερῶν Ἀμφικτυονικῶν, id est foro, urbis territorio, & ludis, & sacris Amphictuonicis, ut legem hac de re e Demosthene refert *Petitus l. c. lib. 7. tit. 1. §. 6.* quin imo ut eo loco, in quo excubiæ collocantur, abessent, lege cautum est, vide *Eund. ibidem §. 20.* atque hæc pœna Græcis vulgari appellatione audit εἰργασθαι τῶν νομιζῶν, quod recte interpreteris *legitimis interdicare.*

SECTIO SEXTA.

De Relegatis.

§. I.

Inter eos, quibus simpliciter certis locis interdictum est, & relegatos in eo convenit, quod utrique interdicator, uterque certis locis abesse cogatur, in eo tamen inter relegationem & certorum locorum interdictionem differentia videtur intercedere, quod plus pœnæ ac plus etiam ignominiaë relegationi insit: accedit, relegationem dici, cum quis extra fines patriæ vel provinciæ, in qua commoratus fuerit, excedere jubetur, interdicti autem (strictiori sensu) certis clauduntur vel arcentur locis, non etiam iis expelluntur.

I. I.

Inter relegatos ita distinguit Ulpianus, quod quidam in insulam relegendur, quibusdam simpliciter provinciis interdicator, nec etiam insula assignetur.

Qui in insulam relegabantur, his sæpe bona, vel partem aliquam bonorum ademptam fuisse, do-

cet

cet l. i. l. ii. D. ad L. Falc. l. 38. D. de pœn.

Etsi enim relegatio in principio eo spectabat, ut noxii nociturive cives urbe Italiaque salvis patrimoniis removerentur, sævitia tamen & avaritia Imperatorum dicam; an prædonum humani generis effectum est, ut bona relegatorum fisco addicerentur, donec Trajanus constituit, ut juris hic abusus tolleretur, nec relegatorum bona amplius in fiscum redigerentur, quod quidem superioribus temporibus sæpe numero factitatum fuerat, cum nullo alio magis consilio in innocentes pœnæ statuerentur, quam ut avaritiæ principum fisci que omnia devorantis inopiæ satisfaceret, consuli meretur *Bachovius de legibus Trajani Pag. 209. l. i. D. de Interd.*

¶ I I.

In Græcia idem mos obtinuit in hoc judiciorum genere, ut bonorum proscriptiones non semper fierent, quod innuit *Liban. Declam 7. Δημευστε πολλάκις ὑμεῖς τῶν καταδικῶν*, sæpe numero publicatis bonis damnatorum. Eamque inter *φυγὴν* & *ὄστρακισμόν* differentiam constituit *Suidas*, quod ostracismo ejectorum bona populus inviolata reliquit, secus ac cæteris exilibus factum: *διαφέρει* inquit,

F

φυγὴν

Φυγή ὄστρακισμῶ &c. Ostracismus a fuga differt, quod Φυγή damnatorum facultates publicabantur, ὄστρακισμῶ vero migrare iussorum populus bona non tangebatur.

I V.

Hæc inter ostracismum & relegationem Romanam similitudo scriptores Græcos posterioris ævi induxit, ut ostracismum per relegationem interpretarentur; enim vero etsi relegatio ostracismum in quibusdam referat, in multis tamen ab eo differt.

Relegationis variæ erant species; nempe erat vel temporaria, vel perpetua, æque addicta aliquando bonorum proscriptio, quandoque sine ea imponebatur. Relegabantur cujusque criminis rei promiscue; ostracismo contra in decennale mittebantur exilium, non homines improbi, sed quorum opes, gratia, & potentia plebi suspectæ & metuendæ erant, imo qui in pœnam criminis etiam salvis rebus ejectus fuit, non hic ostracismo, sed fuga & exilio damnatus dicitur.

Nunquam denique ostracismus spectabat bona, nam qui eo ab urbe aberant, bonorum suorum fructus percipiebant, ut testantur loca a *Petito l.*

c. pag.

c. pag. 458. Ed. Cl. Wesseling. allegata.

V.

Formulam relegationis nobis exhibet l. 7. D. de interd. quæ hæc erat, *illum provincia illa, insulisve iis relego, excedereque debet intra illum diem.* Relegabantur autem vel a certo loco, quod est interdicare, vel ex certo loco in alium locum, quod proprie est relegare, idque Romæ factum a Principe vel Præfecto urbi aut prætorio: in provinciis relegandi potestatem Præses ita exercuit, ut extra provinciam suam relegare quidem potuerit, relegatoque necessitatem provincia excedendi imponeret, atque etiam ad certa suæ provinciæ loca relegare interdicens, ne ex illis egrediatur, verum in insulam aliumve locum, aut provinciam suæ jurisdictioni non subjectam relegare non potuit, nisi id ei specialiter & nominatim, vel saltem per consequentiam a Principe esset indultum, l. 7. §. 8. 9. & 10. D. de interd.

VI.

Porro illi, qui in tempus vel in locum patientiorem commodioremve relegati erant, severius,

ni poenæ paruissent, coërcebantur. Sic in tempore relegato, si intra statutum tempus & diem interdictis locis non excessisset, vel excessisset quidem, sed reditum maturasset, perpetuum exilium infligebatur; qui vero in perpetuum relegatus erat, nec sententiæ, quoad illa loca, quibus circumscriptus erat, paruerat, arctius insulæ vinculo constringebatur; in insulam relegato, si ea excessisset, deportatio, deportato & evadenti ac apprehenso poena capitis irrogabatur, l. 4. l. 28. §. 13. *D. de poen.*

Quin & aliis de causis relegati quandoque intentiori supplicio deportationis affligebantur. Cassium Severum prius in Cretam amotum, postea (deportatum) consenuisse in saxo Seriphæo dicit *Tacit. Ann. lib. 4. cap. 21.* varios hosce exilii gradus subiit Julia, Augusti filia, de qua videatur *Sueton. in Aug. cap. 65.*

De differentia inter relegatos & deportatos sectione, quæ jam sequitur.

S E C T I O S E P T I M A.

De Deportatis.

§. I.

Deportatio gravissima exilii species ex pœnis capitalibus erat, utpote qua, ut cum Paulo loquar, caput e civitate eximebatur.

Deportati autem erant, qui, civitate omnibusque ejus juribus amissis ad certam insulam deferebantur, ut ibi in perpetuum essent, *l. 7. §. 2. D. de Interd. l. 17. §. 1. D. de pœn.*

Multiplex adeo deportationi pœna inerat, nam & ad peregrinitatem condemnatos redigebat, & ἀπόλιδες, *l. 17. §. 1. D. de pœn.* qui propterea mortuis accensebatur, deportatus ad hæc in perpetuum patria Diisque Penatibus excidit, & insula, in quam nervo aut catenis vinctus deferebatur, adstrictus ita tenebatur, ut pedem ex ea proferre nequiret.

Denique bona deportatorum publicabantur, ut nihil præter vitam & libertatem angustissimis limitibus conscriptam haberent reliquum. Quorum omnium illustre exemplum in Flacco, qui, bonis omnibus confiscatis, orbe Romano prohi-

bitus, in insulam Andrum deportatus fuit: μετὰ τὴν ἀφάρεσιν μὲν ἠλάυνετο τῆς ἠπέρου, inquit, *Philo Judæus libro in Flaccum* istum, ex quo de deportati misera conditione & alia sumi possunt. Adde, Persas etiam in insulas delictorum causa quosdam seposuisse, quos ἀνασπάσας *Herodotus in Polymnia* vocat: memini *Barnab. Brissonium de Regno Persar. lib. 2.* aliter de illis opinari, sed ejus opinionem confutat idem *Historiarum pater in Thalia cap. 93.* Ἀνάσπασοι proprie illi sunt, qui sedibus suis evulsi aliorum trahuntur, ut bene *Portus*, qui titulus in deportatos haud male congruit.

I I.

Quanquam autem, ut jam supra monui, exilii nomen generale sit, nec deportati solum, sed & relegati ac interdicti exules tum ab Historicis, tum ab *JCtis* appellentur, plerumque tamen nomen exilii ad deportationis speciem restringitur, & a relegatione distinguitur, quasi exilium proprie non sit, quod jus civitatis non adimit.

I I I.

Hæc autem in insulas deportatio in locum aqua & igni interdictionis successisse dicitur *l. 2. §. 1. D.*

D. de pæn. l. 3. D. ad L. Jul. Pecul. quarum legum auctores vel ipsi, quoad illam successionem ful-
luntur, vel ita intelligendi sunt; aqua & igni in-
terdictionem, prout olim obtinuit, eo mutatam
fuisse, quod deportatio ei superaddita fuit. Uti-
que constitutio Augusti apud *Dion. Cass. lib. 56.*
ex qua *Cujacius Obs. lib. 6. cap. 39.* aliique hanc
surrogationem derivant, eo tantum spectat, ut a-
qua & igni interdicti certis locis insulisve strictius
clauderentur.

Sæpius ad hæc deportati aqua & igni interdi-
ctorum nomine veniant, unde non inepte aliquis
concludat, antiquam aquæ ignisque prohibitionem
haud quaquam sublatam, ipsamque formam con-
demnationis in ea denuntianda adhiberi solitam, in
deportatis quoque retentam, atque illud tantum
additum fuisse, ut certis locis concluderentur.

I V.

Addidit illud Augustus, *Oratione Liviæ* & ratio-
ne politica ad id permotus, ne scilicet exules, qui-
bus antea libere extra Romanam ditionem vaga-
ri, sedemque, ubi vellent, figere licebat, hac
libertate abusi malum imperio suo molirentur. V.
Dion. Cass. lib. 55. pag. 562. (Eodem prorsus con-
silio

filio sequenti tempore de Eutropio in insulam Cyprum relegato legimus, ut ibidem pervigili cura vallatus nequiret suarum cogitationum rabie cuncta miscere, consuli meretur *Gothofred, in Comment. ad Codicem Theodos. Tit. de pœnis*) neque enim Julium Cæsarem pœnæ deportationis auctorem esse, ex comminatione ejus, qua *militēs vetustissimæ navi impositos, quocunque vento in quasunque terras suo jussu avehendas* minatur (*Sueton. in Julio cap. 65.*) satis colligitur, nec ulla prostant exempla ante Augusti tempora deportatorum; verba enim *Dionis Cassii lib. 56.* quibus causam sancientiæ constitutionis hanc refert, quod multi *Φυγάδες* (exules) alii quidem extra illa loca, in quæ *ἔξοπισθῆσαν* (relegati sive deportati fuerunt) commorabantur, si vel de deportatis accipiantur, nihil aliud probant, quam ante Constitutionem ab Augusto editam quosdam deportatos certisque locis adstrictos huic pœnæ haud ita obtemperasse, quin locis sibi assignatis egrederentur, & passim aliis locis, pristina aqua & igni interdictorum exempla secuti, morarentur.

V.

Ex eo tempore, quo Imperatores sententiæ, qua cui aqua & igni interdicebatur, novam poenam, conclusionem scilicet & detrusionem in certam insulam, adjecerunt, usu invaluisse videtur, deportatos simpliciter dicere, qui hanc sententiam subiissent, contra tamen sæpius tam historiarum, quam juris auctores vetus nomen aqua & igni interdictorum etiam de deportatis accipiunt, *l. 18. D. de stat. hom. l. 5. pr. D. de capit. minut.* sed scrupulus alicui nasci possit ex eo, quod Justinianus *Instit. Lib. 1. Tit. 16. §. 2.* imo Ulpianus *l. 1. §. 2. D. de leg. 3. de aqua & igni interdictis* itemque deportatis disjunctim, tanquam diversi essent, loquatur; verum id nos non moratur, cum, si ad diversa tempora respiciamus, alii revera fuerint aqua & igni simpliciter & ex pristino more interdicti, alii sic interdicti, ut simul in insulas deportarentur.

Nec certe pristini moris interdictio statim ac penitus exolevisse videtur, sed sensim sensimque magis invaluisse, ut exilio damnati in insulas deportarentur, imo abolita pedetentim interdicendi formula reis deportatio vi ipsius sententiæ irrogabatur, qui propterea nec ante pro damnatis habebantur,

G

bantur,

bantur, nec civitatem amittebant, quam de eorum deportatione sententia pronuntiata esset, *l. 2. §. 1. D. de pœn.* quod, si cui probabile videatur, de tali deportatione recte & proprie dici posset, eam in locum aqua & igni interdictionis successisse.

V I.

Magnum inter deportatos & relegatos discrimen inerat, quod hic paucis attigisse non abs re erit.

Cum enim relegati certis tantum locis abesse, vel intra certos fines se continere cogerentur, omnia interim jura cum civitate salva & integra retinebant, ac tum saltem partem bonorum amittebant, cum in perpetuum relegabantur, quod non semper factum est, *Ovid. Tristium 4. Eleg. 9.*

*Omnia, si nescis, Caesar mihi jura reliquit,
Et sola est patria, pœna carere mea.*

Deportatio contra non nisi in perpetuum facta est, *l. 18. §. 1. D. de Interd.* itemque deportatus amittebat omnia bona, *l. 4. l. 7. d. t.* omniaque jura: deportatus, inquam, statim ac sententiam patitur,
civi-

civitatem Romanam amittit, & cum ea jura agnationum, legitimarum hereditatum, patriæ potestatis, quæ jura sequitur omnis factio testamenti.

SECTIO OCTAVA.

Quinam Exilio puniti sint.

I.

Exilium olim inter Romanos pœnam legitimam non fuisse, nec legibus constitutum, cum superius a nobis ostensum est, tum diserte verba Ciceronis indicant, qui *Orat. pro Caccinna*, *Exilium, inquit, non supplicium, sed profugium portusque supplicii, nam qui volunt pœnam subterfugere, eo solum vertunt, id est, sedem aut locum mutant.*

Reis nimirum judicii, cui implicabantur, exitum metuentibus licebat sibi exilium voluntarium consciscere, & pœnam sibi imminentem subterfugere, tumve dicebantur exilii causa solum vertere.

De Claudio Oppioque narrat Livius, eos ante diem judicii vitam in vinculis finivisse, eorumque

bona a Tribunis publicata, collegas vero eorum exilii causa solum vertisse.

Idem apud Græcos, teste Demosthene, reollicit, cum primam orationem habuisset, solum vertere id, quod vetare nec accusatoris, nec iudicum, nec cuiusquam hominis in potestate erat.

Aliud exilii genus Græcis vetustissimis temporibus in usu fuit, quod expiandi criminis causâ subit, qui fortuita nec destinata cæde se commaculasset, idque ex instituto priscorum, qui homicidas detestandos & fugiendos existimabant, sacrisve & foro eos arcebant, qui in reatu cædis erant, qua de re ac præsertim modo expiationis legi meretur *Gulielm. Budæus in Observ. Post. in Pand. pag. 110.*

III.

Olim inter Romanos patresfamilias & domini in liberos servosque suos id juris exercuere, ut eos ab Urbe & hominibus in agros ad opus rusticum relegarent, cuius rei notissimum exstat exemplum in Tio Manlio Torquato, de quo videatur *Liv. Hist. lib. 7. Cic. Off. lib. 3.* quin & Augusti tempore Darii opulenti civis filium adolescentulum in parricidio deprehensum ab Augusto damnatum legimus,

gimus, ut, quo vellet pater, eum relegaret, *Seneca lib. 1. cap. 15. de Clem.* idem supplicii genus modo licet atrociori suis inflixit Augustus, *Sueton. in Octav. cap. 65. Tacit. Ann. lib. 1.*

De servis a domino in villam pœnæ causa relegatis loquitur *l. 35. D. de hered. instit.* Rus autem relegabantur, quia durior olim rustica quam urbana servitus erat, quo alludit *Juven. Sat. 8.*

*Quid facies talem sortitus Pontice servum?
Nempe in Lucanos aut Tusca ergastula mittas?*

Quin & patronis in libertos hoc relegandi jus competiisse *Tacit. Ann. Lib. 13.* aperte innuit: *quid aliud, inquit, laeso patrono concessum, quam ut vigesimum intra lapidem in oram Campaniæ libertum releget?* Postea etiam jure publico libertus, qui patrono contumeliam fecisset, aut convitium dixisset, relegationis exilio puniebatur.

Deportari autem servus non poterat eo, quod caput ei, qui illud non habebat, adimi non poterat, *l. 12. D. de accusat.*

III.

Videndum nunc paucis, quibus de causis leges exilii pœnam in delinquentes statuerint,

Eam sæpe arbitrio & auctoritate Principis, qui solus jus deportandi habuit, irrogatam fuisse, nulla causæ cognitione interveniente, satis constat.

Legibus autem publicorum judiciorum variæ relegationis exiliique poenæ sancitæ erant, quas hic summam attigisse satis erit.

Injuriarum convictos quandoque in exilium missos docet *l. 45. D. de injur.* Falsi & quasi falsi poenam deportationem & omnium bonorum publicationem constituit Lex Cornelia, *l. 2. §. 23. D. de L. Corn.* quæ eadem poena inflictæ est peculatus criminis convictis extra magistratus, *l. 1. D. ad L. Jul. pecul. l. 1. C. de crim. pecul.* Eadem poena coërcuit eos, qui munera publica iniquo modo ambiissent, *l. 1. C. de ambitu.*

I V.

Ad instar legis Juliæ de ambitu puniendos Arcadius & Honorius postea rescripsere, qui per fraudem muneribus publicis se ingessissent, *l. un. C. ad L. Jul. de amb.* criminis quoque repetundarum condemnati in exilium plerumque mittebantur, *l. 1. D. de L. Jul. repet.* illos etiam, qui annonam flagellabant, vel falsis mensuris publicum fraudabant,


bant, relegationis pœnæ subjecit *l. 6. D. de extraord. crim.* iudices pedaneos corruptos aut in exilium mitti, aut ad tempus relegari tradit *Paulus Lib. 5. Sentent. tit. 28. l. 38. D. de pœn.* Idem contigit illis, qui nondum viripotentes virgines corrumpunt, si honestiores essent, *l. d. D. de pœn. publica vis deportatione punitur, l. 3. §. 2. l. II. D. ad L. Jul. de vi publ.* violentum stuprum nondum patratum relegationi auctorem subjecit, *l. 1. §. 2. D. de extraord. crim.* similiter & illi, qui libellum famosum aut carmen, quo alterius famam lacera-
rent, composuissent, relegari solebant, *Paulus Sent. lib. 5. Tit. 24.* Qui injuriarum actionem per calumniam instituit, extra ordinem damnatur exilio, aut relegatione, aut ordinis amotione, *Vid. Cajum l. antepen. D. de Injur. Paulus Sent. Lib. 5. Tit. 4.* Satis habeo celebriores hic allegasse leges, quæ transgressoribus exilii pœnam dictabant, reliqua, quæ huc spectant, sedulus juris scrutator facile inveniet.

Animus erat nonnulla quoque hoc loco ex jure hodierno, quæ ad exilia spectant, addere, sed cum pagellarum numerum, quem animo conceperam, jam compleverim, imo excefferim, ei operæ impræsentiarum supersedere liceat; in eo ve-

ro, quod in me susceperam, si nec doctrina omnis, nec cultus adsit, quem quis desiderare posset, nemo, opinor, propterea orbe literato me exulare jubebit.

Utique æquitatem in lectore meo desiderarem, si in primo hoc, quod exhibeo, specimine omnia, quæ ad hoc argumentum referri possunt, excussa & ad amussim digesta vellet. Virium cujusque & modus certus est, &

F I N I S.



THE-

T H E S E S.

I.

*Usuræ, si modus legibus præscriptus non excedatur,
jure Divino, Naturali, & Civili sunt licitæ.*

II.

Lex non scripta obligat.

III.

*Pœna quoque capitis plectuntur violatores portarum,
& murorum municipalium.*

IV.

*Filiusfamilias de peculio adventitio pleno testari ne-
quit.*

V.

Tutela origine & forma est juris Civilis.

VI.

*Cives etiam honestos, si vocati non irent, obtorto
collo in jus rapere licuit.*

H

VII.

T H E S E
L I V

*Qui justo metu ductus, avertendi incendii causa,
ades alterius destruxit, ex lege Aquilia non te-
netur.*

V I I I.

Usucapio non adversatur juri Naturali.

I X.

*Prodigus de jure habetur nemo, nisi talis per de-
cretum Prætoris sit declaratus.*

X.

*Ob crescentem vicini potentiam justum non semper
infertur bellum.*

X I.

Testamenta non sunt juris naturæ.

X I I.

*Transactio super testamento, non inspectis testamenti
tabulis, valet.*

TER INWYDING
van den
WEL EDELEN HEERE,
CHRISTOFFEL WOUTERS VAN DER
MIEDEN,

Tot Meester in beide de Rechten.

Aen THEMIS toegewyd, stapt gy haer' Tempel in;
Trée nader, zegt de RECHTSGODIN.

- „ 'k Hoorde U een * wigtig stuk geleert en klaer ontleeden,
„ Ten blyk, hoe Ge in het Stichs-Atheen,
„ In mynen dienst uw' tyt wist nuttig te besteeden.
[Zo deen uw Vader en uw Broeder ook voorhêen.]
„ Volg verder nu hun' wakk're schreeden.
„ Geluk! geluk! haest zult Ge ook een fraei Ampt beklêen.
„ Dus ziet de RAETSHEER zich, zyn' Vader, WOUTERS, COREN,
In meer dan eenen Zoon herbooren.

*Geen' Tubereus, te sterk van geur,
Maer een frisch Bloempje, zacht van kleur,
Biede ik U aen, myn vriend, voor een' van uwe Zoonen;
't Is in myn' Tuin ter yl geplukt.
Behaegt het Hem en U, dan zie 'k myn wensch gelukt,
Terwyl MAURICIUS vliegt dierb're Lauwerkroonen.*

P. A. DE HUYBERT,
Hr. van Kruiningen.

[* *De Poena Exilii.*]

Aan den Edelen Moogenden Heer,
den Heer, Mr.

ADRIAAN VAN DER MIEDEN,

*Raadsbeer in den Hove van Holland, Zeeland
en Vriesland, enz. enz. enz.*

TER INHULDIGINGE

van zyn Ed. tweeden Zoon, den Heer,

CHRISTOFFEL WOUTERS VAN DER
MIEDEN,

tot Meester in beide de Rechten.

*Cui genus a proavis ingens, clarumque paterna
Nomen erat virtutis, & ipse acerrimus armis.*

Virg. Æn. XII. 225.

Geëerde Vriend, die t'onwaardeerlyk heil geniet,
Dat Gy in 't eëlste van uw leevenstyd uw Zoonen
(Die Uw aanzienlyk Huis met vreugde en glorie kroonen)
Het voetspoor van uw' deugd zo deftig volgen ziet,
(Wat zielsgenoegen kan een vaders hart meer streelen!)
De vriendschap port me om in uw' blydschap meê te de-
(len.
Ont-

Ontfang dus gunstig dit eenvoudig vriendendicht,
Uw's Lands PALLAS, die voor geen' Atheensche Pallas
(zwicht,
En weet aan deugd en eer 't gepaste loon te geeven,
Heeft reeds den Oudsten op den eerestoel verheeven,
De Tweede toont zich meê zo braaven Vader waard.
Hy streeft zyn' Broeder na met mannelyke stappen,
En heeft een parelschat van de eêlste weetenschappen,
En kennis van het Recht gelukkig saamgegâard.
Nu ziet men Themis hem den lauwerierhoed schenken,
En Neerlands MOEDER zal om 't verd're sierzel denken.
De Derde, meê van jongs tot wysheid opgeleid,
Belooft geen minder vrucht van wakkre naerstigheid,
Terwyl uw' Dochters, als de drie Bevalligheden,
Uw' dish versieren, en in 't bloeien van haar' jeugd
Haar Vaders schrand'ren geeft, haar Moeders ed'le deugd
Volmaakt vertoonen in haar' minnelyke zeden.
Leef, deftig Raadsheer, leef tot glorie van het Hof,
's Volx stem verdoof myn' zang in 't juichen tot uw' lof,
Des Hemels zeegen wil uw' dierbre dagen rekken,
Om lang de Onnozelheid een schutsheer te verstrekken,
Terwyl nog hooger Eer op uw' verdiensten wacht,
Hy doe U dag aan dag, in kinderen en neeven,
De Nyd in 't aangezigt, vernieuwde vreugd beleeven,
En vestig' voor altoos het heil van uw geslacht.

En gy, jong Letterheld, die in doorwrochte bladeren
Doet zien, wat ryp vernuft uw jeugdig brein bewoont,
Denk steeds om 't bloed, dat gy voelt spelen in uw'
(aderen.
Ja ieder borstbeeld, dat uw stamhuis U vertoont,
Strek' U een spoor tot eer. Zo wordt de roem van *Coren,*
En *Wouters* ed'le naam in U op nieuws herbooren.
Zo zie ik leevendig den Burgermeester weêr,
Wiens vriendschap ik gedenk, en wiens onsterflyke eer
't Verpligt Noordholland steeds met dankbaarheid zal
roemen,
Zo moet men steeds met lof de VAN DER MIEDENS noemen,
Zo hechte in 't achtbaar Huis des Raadsheers elke zoon
Een' nieuwe parel aan hun' Vaders eerekroon.

J. J. MAURICIUS.